

assensio non possit fieri nisi commota viso: tamen quum id visum proximam causam habeat, non principalem, hanc habet rationem (ut Chrysippus vult), quam dudum diximus, non ut illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata (necessere est enim, assensionem viso commoveri), sed revertitur ad cylindrum, et ad turbinem suum, quae moveri incipere, nisi pulsa, non possunt: id autem quum accidit, suapte natura, quod superest, et cylindrum volvi, et versari turbinem putat.

Ut igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: sic visum objectum imprimet illud quidem, et quasi signabit in animo suam speciem, sed assensio nostra erit in potestate: eaque, quemadmodum in cylindro dictum est, exstrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi et natura movebitur. Quod si aliqua res efficeretur sine causa antecedente, falsum esset, omnia fato fieri: sin omnibus, quaecunque fiunt, veri simile est causam antecedere; quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum sit? modo intelligatur, quae sit causarum distinctio ac dissimilitudo. Haec quum ita sint a Chrysippo explicata, si illi, qui negant assensiones fato fieri, fateantur tamen, eas non sine viso antecedente fieri; alia ratio est. Sed si concedunt, anteire visa, nec tamen fato fieri assensiones, quod proxima illa et continens causa non moveat assensionem: vide, ne idem dicant. Neque enim Chrysippus concedens, assensionis proximam et continentem causam esse in viso positam, eam causam ad assentiendum necessariam esse, concedet, ut, si omnia fato fiant, omnia fiant causis antecedentibus et necessariis: itemque illi, qui ab hoc dissentient, confitentes non fieri assensiones sine praecursione visorum, dicent, si omnia fato fierent ejusmodi, ut nihil fieret, nisi praegressione causae, confitendum esse, fato fieri omnia: ex quo facile intellectu est, quoniam utrique, patefacta atque explicata